

7. 7.
SPECIMEN GRADUALE,

De

CAUSSIS IMPE-
DITÆ OECCO-
NOMIÆ,

Quod,

Suffr. Ampliff. Facult. Philos. in Regia Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

CAROLO FRID.
MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESS. Reg. & Ord. Facult. Philos.
h. t. DECANO,

Publicae honorum censuræ decenter committit

CAROLUS J. BRUSIN,

Savolaxia-Finlandus.

In Audit. Maj. D. XXI. Julii, A:o MDCCXLVIII.
Horis ante meridiem consuetis.

ABOÆ, Typis JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

S. a R. a M. t. i. s

MAGNE FIDEL VIRO

Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

D. N. JOHANNI
NYLANDRO,

Incluto Diœceseos Borgoënsis EPISCOPO, maxime Ven. e.
jusdem Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI gravissimo, Regii
ibidem Gymnasii Scholarumque per totam Diœcesin EPHO-
RO Accuratissimo.

MÆCENATI MAGNO,

Mlum sane multis videbitur, qui fiat, ut Tibi Reverendissime
Pater, rudem hanc meam opellam & nullo prorsus splendore
nitentem, sed mancam mutilamque, sacrare sustineam. Ast pluri-
mae certe rationes, cur limina aasectem Tua, mihi fuer. Unde e-
nim jubar, levissimis his pagellus, visi a nomine Tuo, magnis virtu-
tibus & meritis fulgidissimo, mutuarer? Nec mihi unquam occasio
oblata fuit opportunior, qua publice erga summum favorem & be-
nevolentiam Tuam, qua nullo non tempore me amplecti haud de-
dignatus es, gratissimam meam mentem & summam venerationem
declarare possem. Hae fere palmaria fuer. causae, cur rude hocce
sirocinium Tibi, Reverendissime Pater, una cum memet ipso, offerre
ausus fuerim, humillime contendens, ut benigno audaciam hanc
meam adspicias vultu, meque clientelae Tuae in posterum etiam
commendatum habeas, quod insigne favoris Tui documentum mi-
hi erit. mearum vicissim erit partium, ad statorem caeli terraeque
semper supplices tendere palmas, pro perenni Tuo Tuorumque flo-
re & incolumitate.

Reverendissimi NOMINIS TUI

Clientis devotissimus,

CAROLUS J. BRUSIN.

VIRO admodum reverendo atque praeclarissimo,

Dn. Mag. **ANDREÆ HEINRICIO,**

Ecclesiarum ad Sanctum Michaëlem & Hirvensalmi Savolaxiæ, Antistiti vigilantissimo, districtus adjacentis *PRÆPOSITIO* meritissimo, Patruï loco ad cineres usque colendo, devenerando.

Nobilissimo Domino,

Dn. **CAROLO BRUSIN,**

Equestris Savolaxiæ Legionis Subcenturioni, Patruo omni pietate prosequendo.

VIRO praeclarissimo,

Dn. **GABRIELI HEINRICIO,**

Regiæ Academiæ Aboënsis Philosophiæ Adjuncto laudatissimo, Patruï loco ætatem suspiciendo.

Lucem vix adspexi ullam lætiorem, quam hæc est, qua Vobis, Patruï optimi, pro plurimis in me collatis beneficiis, gratam meam diu intra pectus reconditam possim declarare mentem. Conatibus tantis licet impares sint vires meæ, levissimas tamen præsentis pagellâs æqui bonique ut consulatus, humillimus rogo; quas Vobis una cum me ipso offerre sustineo. Donec vixero permanisurus

NOMINUM VESTRORUM

Cultor humillimus,
CAROLUS J. BRUSIN.

Til Söglårde Herr Philosophiæ CANDIDATEN.

O Urfäderne wår, från Ättlinga Karlousna ätten,
 Hölt för en dyr i helgd lyst dygd, hugpryde och ädle,
 Resa i härnad, å gripa sig gull uti Balthiska wikar:
 Drakars sköldbade bröst, och ormars smidiga trynen,
 Ställa mot Näckurs swall: Wäst-hafswets modiga böljor
 Trässa wid Hertull: i Tiorfa gå in til Girkar å Usar,
 Ell' å at bardaga swalg upröra, då härfärd frå Norden
 Swärme-å flockwijs ut, med mång storhundra, sku giälla
 Til Wanqwiss' å Ussem, å fler granskaper i någden,
 Särckland, Wanahem å fornfrågde förwanter å Scythier:
 Färgade fälten med blod, betäckte med fienda kroppar,
 Stakad' ut wägen med grymhet, å wist' sin försädra styrcka;
 Satt då **GUSZAR DITIS** å gret, förachtad å liuwaste parker:
 Saknade föttel, å sålt med forndigra axen usfnockad'
 Gladde ei bardagagiruge bond'n til ärsicht å måtto:
 Wårja, Påhlyre, å båge måst hus, mat, kläder å heder,
 Drängar å penngar å hustru å hem oårswa förwårswa.
 Allt af wapnebrak yueckliga skall' å gnydde i norden.
 Detta bekymrade hugpryden all och frågdricka snillen,
 Som så eget, som nåskans wähl, kund liufare skåda,
 Sed n ett adlate lius förnusters ögon ha öpnat.
 Derför sworo de Sed, sin' hielpsamme händer uträkte
 Jordhåfd utarmad, förachtad å kleen und'r armarna grepos;
 Hållt ett Samhåld's styrcka å den, som stolpar, å sårter.
 S, **KARL** Awuli **BRUSSET** å fram, Min Herr, i flocken
 Å de wettidige, och de rätta ordfaker umårcken
 Som förhindrat hushåldningen, at til åkra upfattas;
 Derför af allom ha heder; men tacl' å belöning af hemma.

E. A. SUNDIN.



D. A. L.

§. I.

Felicitas nostra, quia homo duabus constat partibus essentialibus, duplex est; vel interna respectu animæ, vel externa respectu corporis. De illa ratio instituti non fert ut heic agamus; hanc vero nobis inprimis ars illa *œconomica* promittit, quæ est *scientia acqvirendi copiam rerum conservationi vitæ humani generis sufficienter inservientium, acqvistisque bene utendi.* Objecta *œconomix*, sive res, quæ in humanam verti possunt utilitatem, tria illa regna naturæ copiose nobis suppeditant, & quasi commune quoddam ararium, omnium usui sufficiunt. Hæc producta naturæ partim talia sunt, quibus sine arte frui possumus, partim sunt materiæ, quæ dicuntur, rudes. Duplicem igitur dari modum patet, acqvirendi copiam alimenterum & necessaria vitæ; vel *naturalem*, quem natura ad victum comparandum homines docuit; vel *artificialem*, qui hominum industria inventus est. Fluit hic quidem a natura, sed arte perficitur. Harum *œconomix* partium flore, ceu fulcris suis, nititur salus pu-

publica & privata. Quantum hæc singulæ ope & adminiculis scientiarum eruditorumque indigeant, facile demonstrari potest. Si enim rem rusticam, nutricem communem reliquarum artium, mentis contemplationi subjecerimus, a cultoribus ejus requiritur non solum cognitio vegetabilium & animalium, ipsiusque terræ indolis; verum etiam horum naturam, usum, proprietates & affectiones haud ignorare debent; elementorum quoque vires, & in res naturales influxum scire tenentur, si laboris sui fructum assequi voluerint. Prolixa vero probationi non eget, has cognitiones ex historia naturali, physica, chemia & mathesi esse petendas. Neque tamen excludendus est reliquarum scientiarum in hanc œconomix partem usus & influxus. Omnes enim vel comparandis opibus adminicula subministrant, vel suum cuique ut tribuamus docent, & sobriam ac pium divitiarum usum injungunt. Sed nec reliqua œconomix capita absque eruditorum opera rite excoli possunt. Si enim rudibus illa tantum relinquantur hominibus, hi, panis lucrandi & lucelli causa, tritam calcant senitam, & emendationi ante inventorum, aut novorum inventioni incumbere nec volunt nec possunt. Paucissimi enim illorum naturali inveniendi facultate præditi sunt; cumque & hi scientias ignorent, impossibilia illis sunt majoris momenti & abstrusiora inventa, aut si quid novi imaginationis ope sibi exhibuerint, arces in aëre exstruunt, nescientes rei possibilitatem. Si denique in inventa aliqua incidant, particularia illa sunt, non nisi scientiarum ope universalialia, & omnibus casibus similibus applicabilia, reddenda. Hæc vero obstacula superantur, dum viri scien-

Scientiarum præsidio muniti œconomix admovent manus. Hinc illa artificia, quibus ea contigit felicitas, ut ab eruditis fuerint exculta, ad multo majus culmen adscenderunt quam reliqua, cujus rei illustra documenta sunt horologiorum conficiendorum ratio, & ars pingendi, præsertim pars ejus perspectiva. Eruditorum itaque industria & ope, rectaque scientiarum applicatione in usum publicum & privatum, rempublicam maximopere indigere, is, qui vel hæc ipsa justa perpenderit lance, luce meridiana clarius videbit: frustra que œconomix florem expectari, nisi literarum cultores huic negotio manus auxiliatrices attulerint. Hoc ex fundamento, cum oppositorum opposita sit ratio, forte non erit difficile, impedimentorum difficultatumque causas, quibus œconomia multis in locis diu laboravit, & hodiernum laborat, investigare. Hanc dignissimam materiam, de *caussis* nimis *impeditæ œconomix*, omnibus, quibus salus publica & privata curæ cordique est, futuram gratam speramus. Sed amice rogandus nobis est b. l. ut eo mitiori innocuos hos conatus perstringat censura, quo difficilius est argumentum, cui rite exponendo tenuitas nostra non sufficit.

§. II.

Historia superiorum temporum, & experientia præsentium, manifeste ostendit, artem œconomicam, quamvis apud nonnullas gentes aliquantum floruerit, aut etiam nunc floreat; apud plerasque tamen neglectam jacuisse, & nondum, ad illud culmen adscendisse, ad quod, potuisset imo debuisset pertingere. Operæ igitur pretium est, ut inquiramus in causas,

quæ impedimento fuere œconomiae progressui. Sed sunt hæc fere innumera, & pro vario regionum situ, varia earum fecunditate, & varietate proprietatum; diversaque incolarum indole, inclinatione, & regiminis forma, variaque alia ratione, differentes, quas singulas recensere res esset Herculei laboris. Nec palmarias omnes, temporis angustia qua premimur, permittit ut producamus; neque hoc e re magnopere esse existimamus. Cum reliquæ causæ sublata simul sint, quamprimum directio imperantium & eruditorum industria dignitatem conciliavit œconomiae, & lucem menti civium omnium infudit; ut unusquisque ipse navis atque vitiiis œconomiae repugnantibus occurrere queat. Quapropter generaliores tantummodo causas aliquas proferre nobis proposuimus, palmariasque constituere, in defectu solidæ tractationis hujus scientiæ in musarum palæstris & apud literarum cultores; in contemptu quo apud felicioris sortis homines laborat, atque ignorantia plebis, quas in sequentibus brevibus evolvere animus est.

§. III.

QUUM in §. I. a nobis ostensum sit, œconomiam sine auxilio virorum eruditione & judicio conspiciorum, scientiarumque adjumentis, haud quaquam posse emergere; consequenter in §. II. in defectu solidæ tractationis hujus scientiæ, primam & palmariam impeditionis ejus causam latere indicavimus. Ostendit id vel historia literaria, quæ, pro eadem ratione, qua studia utilia in hac vel illa civitate vel floruerunt vel neglecta jacuerunt, & œconomiam melio-

liorem vel deteriorem induisse faciem, manifeste testatur. Non diffitemur, partem œconomix saltem potiore, agriculturam nimirum & rem pecuariam, originem duxisse suam una cum genere humano; dum scientiæ omnes adhuc velut ovo suo inclusa latuerunt; quoniam de hac re jam primi ejus parentes mandatum acceperunt (a); nihilque antiquius esse agricultura Varro affirmavit (b). Unde etiam Zvingerus opinatur, quod terræ cultus, cum sit & natura prior & arte excellentior, ob primogenituræ jus Caino cesserit, cura vero animalium, natura posterior, arte inferior, Abelo, qui secundus natu fuit (c). Sed erat facies hujus artis tunc temporum naturalis plane & vulgaris. Nam quo pauciores numero ab initio fuerunt homines, eo magis illis copia alimentorum sponte nascentium suppetebat. Aucta vero sensim hominum multitudine, paulatim etiam artificia vitæ sustinendæ & ornandæ conducentia, excogitanda erant. De œconomix ratione apud gentes barbaras agere non vacat, sed ad illos properamus populos, qui monumenta aliqua œconomica nobis reliquerunt. Apud Græcos invenimus tractationem qualemcunque œconomix initium cepisse, quod libelli quidam testantur, qui nobis adhuc supersunt; ut Hesiodi opera & dies, Xenophontis œconomicon & Aristotelis liber œconomicorum, præter fragmenta quædam de re rustica, sequiori tempore Basileæ evulgata. Qui tamen omnes nihil singulare tradunt, sed regulas exhibent vul.

(a) In Gen. cap. 4. v. 2.

(b) Vide Varr. de re rust. lib. III. Cap. 1.

(c) In methodo rustica, sect. 1.

vulgares de re familiari tuenda, & nonnulla, quibus agricolæ uti possunt. *Aristoteles* ipse officia mutua domestica & societatum minorum præcipue exponit; ipsam vero stricte sic dictam œconomiam, *χρηματιστική* nomine a se insignitam, paucissimis & lectu vix dignis attingit. *Romani* aliquanto majorem prodiderunt intelligentiam his in rebus; *Cato*, *Varro*, *Columella*, *Palladius* & *Virgilius*, qui omnes libros de re rustica evulgarunt, quibus non laudem eorum derogamus; continent enim regulas œconomicas haud contemnendas, quarum usum, quodque possint Anglico etiam climati applicari, erudite ostendit *Rob. Bradleyus* (a) Unde etiam Græcorum & Romanorum potissimum libros œconomicos iuventuti in scholis legendos & explicandos commendat *L. C. Ditbmarus*, quo una cum lingvis etiam œconomiae rudimenta addiscat (e). Sed minime sufficientia aut digna sunt hæc monumenta, quæ justæ tractationis œconomicae mereantur nomen. Quia illam tantum particulam doctrinae œconomicae attigerunt, quæ proventus ex agris procurat, & horum scriptores destituti præterea fuerunt illarum scientiarum administriculis, quæ ad rem œconomicam promovendam necessaria sunt.

§. IV.

Devolvimur jam ad tempora Papismi. Accommodabatur tum omnis studiorum ratio monarchiæ huic

(d) In libro Londini edito 1725. A Survey of the ancient Husbandry and gardening, expositione veteris œconomiae & horticulturæ.

(e) Conf. ejus Einleitung in die œconomische Policey, und Cameral wissenschafften 4. abtheil. S. 14.

huic hierarchicæ stabilicndæ; cum reliquis vero disciplinis superstitioni adversis & luciferis in exsilium relegabatur œconomia, utpote quæ, ad vitam activam ducens, in claustris suis delitescens otiosisqve monachis erat contraria & exosa. Si quæ vero sub illis tenebris emicare voluit lucis scintilla, illa mox suppressabatur, & criminis magiæ rei novarum rerum inventores agebantur. In ludis præterea Scholasticorum literariis subtilitatibus inanibus & notionalibus omnia perstrepebant, quæ nullius fere sunt usus. Realium vero disciplinarum, & in his œconomiaæ studium negligebant, aut si hoc aliquando tractare videri velint, sub specioso illo titulo officia domestica tantum exhibent, ne nimirum vel latum ungvem a magistro suo discederent, aut supra eum saperent, quod piaculo ubiqve duxerunt.

§. V.

Cum vero scientiæ & artes, in felicitatem publicam & privatam proxime influentes, meliores sortitæ sunt successus, œconomicis quoqve disciplinis cultura major & incrementum accessit. Viri celebres variis in regionibus tractarunt plenius hoc studium, & omnes œconomiaæ partes dilucide exposuerunt, novisqve inventis ditarunt; laudando maximopere instituto. Orta enim hac luce, factum est, ut gentes variæ antea pauperculæ, bona sua nosse didicerint, & opibus jam affluant, utqve regiones, paucos antea idqve ægre sustentantes incolas, plurimis jam commode nutriendis sufficiant. In patria nostra carissima jam prodierunt tempore vicenniali plurima virorum eruditorum scripta in studio œconomico, quæ non sine

8
 sine fructu ab omnibus perlegi possunt; & abinde etiam omnem œconomiam novam & meliorem penes nos induisse faciem, nemo non cum voluptate insigni percipit. Sunt tamen varia in omni parte adhuc pia desiderata. Quibus medelam non aliam meliorem afferri posse judicamus, quam si viri historiae naturalis & scientiarum physicarum, chemicarum & mathematicarum gnari, in omni illarum parte ex professo & instituto experientias colligerent, experimentaque instituerent, illasque ad statum patriæ & œconomiam applicarent. Ita demum exurgere posset & enasci desiderata illa systematica hujus scientiæ tractatio, ab hypothsibus libera, quæ peiores sunt in hoc quam in reliquis philosophicis studiis, cum heic non cum cogitationum modo, sed etiam cum opum & laborum impendio, fiant. Neque cum systemarum extruptione in scientiis novis, & iis, quæ multa experientiæ ope indigent, nimis festinandum esse consultum ducimus. Assentimur enim cogitatis Verulamianis (f), quod methodis eircumscriptæ ejusmodi scientiæ parum & lente crescant, cum pauci illi sint, qui ulteriora quærunt in iis, quæ pro perfectis nexu apparenti concatenato traduntur; ex adverso vero, dum sparsa documenta, per portiones quasdam & quasi frustra exhibentur, alii etiam semper ad aliquid adjiciendum & erogandum, invitentur. Illis vero, qui rem œconomicam, propter circumstantias suas admodum diversas, non posse tandem in artem & methodum reduci autumant, neutiqum assentimur. Est in illorum numero *Gabr. Naudæus* (g), qui has

(f) *libr. V. de augm. scient. c. 11. §. alibi passim.*

(g) *In bibliogr. polit. §. 6.*

has res minus arte valere & vigere contendit, quam experientia & usu, ac hominum legibus, moribus & institutis, circumstantiisque rerum, temporum & actionum particularibus, quas in artem & methodum vix possibile judicat reducere. Sed ita, & studia juris naturalis civilisque, & medicum, negligenda essent; priora ob circumstantias actionum humanarum varias, hoc ob ægrotantium constitutiones diversas & idiosyncrasias. Rectius vero alii doluerunt, *Morhofius* imprimis, *Secundus* & *Thomasius*, negligi in Academiis tam nobilem disciplinam, ubi tamen & hujus præceptis mature imbuenda esset juvenus. Quod cum hodie in patria etiam nostra fiat, poterunt Academiae propediem emittere viros maturos, qui reliqua civitatis membra instruere, & officio suo ut satisfaciant edocere possunt. Habebit ita patria in scientiis æconomicis versatos sufficientes æconomiae doctores & censores, quales erant Romanis, dum floruit respublica (b), qui censorum probrum judicabant, male agrum colere, aut negligenter rem administrare familiarem, qui & exemplo & consiliis aliis genuinam proventuum terræ augendorum & nobilitandorum rationem monstrare, & refractarios aut negligentes ad officia sua, etiam publica, si placuerit, auctoritate, cogere poterunt.

§. VI.

Alteram præpeditæ æconomiae causam asseruimus contemptum artis hujus esse. Illam ubique fere contemptui eruditorum digniorisque sortis hominum fuisse expositam, confirmatur, tam ex neglectu tra-

B

cta

(b) *Rosini antiquit. Rom. Libr. VII. c. X.*

stationis hujus scientiæ, ut ex allatis in §§. præcedentibus constat; quam exinde, quod paucissimi melioris sortis hominum & literarum cultorum in Scholis & Academiis ex professo ad œconomica studia se accommodaverint; magna tamen & diffusa hujus materia, cujus vix percensere singulas valeamus partes, hoc necessario postularer; & quamvis œconomia sit antiquissima, jucundissima, innocua maxime, & sanitati conservandæ rei que augendæ maxime conducens hominum occupatio. Ratio hujus rei esse videtur, quod juvenes, qui studiis se addixerunt, hactenus fastu quodam literario imbuti fuerint, ut nescio quas sublimes tantum & arcanas scientias affectaverint, & ita, speculationibus indulgentes, artem œconomicam infra suam dignitatem esse positam, nec manus suas vulgari adeo opere inquinandas judicarint; sed potius hoc plebejis animis & corporibus esse relinquendum. Ad hoc judicium etiam doctorum aliqui suo exemplo, & propriæ rei familiaris neglectu, familiari adeo eruditus morbo, eos quasi manuduxerunt. Præterea erectioris animi juvenes omnes fere a natura ad honorem trahuntur cupiditatem, œconomicum vero vitæ genus dignitatum muneribus & titulis & hactenus caruit; ex adverso cultores harum artium viles & sordidi fuere judicati, ita ut cum illis versari, & ab iis aliqua ad œconomiam pertinentia discere, turpe multi duxerint. Quibus rebus factum est, ut contemptui ipsum hoc studium fuerit expositum, quo tamen dignius vix reperitur alterum. Judice enim *Plinio* (i), telluri operam dare nihil aliud est, quam patrocinari & adesse cunctorum parenti. Unde idem philosophus jure optavit, ut viri

libe-

(i) *In præm. Libr. XIII.*

liberales se traderent his negotiis, cum manibus honestis latius omnia proveniant, quod curiosius fiant. Neutiquam tamen r. qvirinus ab œconomis nostris honoratioribus & literatis, ut improbi laboris duritie, corporisque defatigatione importuna se conficiant, aut miserando illi aratori similes fiant, de quo Chremes apud Terentium (k)

*Nunquam tam mane egredior, neque tam vespere
Domum revertor, quin te in fundo conspiciam
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique
Nullum remittis tempus: neque te respicias.*

Utpote enim homines molles & delicatos non amat œconomia, ita qui se dedat huic studio, nihil in se recipiat, quod disciplinam tam liberalem aliquo modo facere possit odiosam. Vita enim hæc innocens & honesta ingenuos & liberales homines postulat, talesque, qui naturæ vim observare queant, ejusque vel tarditatem adjuvare, vel reprimere luxuriam, quod sine meditatione rerum naturalium fieri non potest. Verum enim in omni œconomia est placitum magni aratoris: non tam discantibus quam docentibus indigere hanc disciplinam (l). Nam dum per manus tantum illiberales de more tractantur hæc negotia, artem & prudentiam ubique requirentia, evitari non potest, quin peccetur interdum per ignorantiam naturæ, cujus inclinationi mos esset gerendus, & attendendum, quid spectet & quo propendeat; & excogitandi modi, quibus per cultum adjuvari possit.

Bz

§. VII.

(k) *Heautontimor. Act. I. sc. I.*

(l) *Columella de re rustica, in præf.*

§. VII.

Non autem sufficit, quod cives literati & honoratiores solidam sibi acquirant rerum œconomicarum theoriam & praxin, sed erit insuper hæc cognitio, quantum fieri potest, ad reliqua etiam civitatis membra diffundenda. Non quidem illa nobis est mens, quod singula civitatis membra studiis se ex professo consecrarent. Ita civitatem quendam Platoniam vel Stoicam extrueremus. Plurimorum facultates & vitæ conditio id non permittunt, ut studiis incumbant; laborumque illa obruuntur multitudine, ut vix quidquam temporis his superfit. Sed id tantum urgeo, ut earum œconomiae partium, quas quisque curare tenetur, per institutionem & exempla possideat aliquam cognitionem, ne mera expectatione casuum similibus & parentum praxi nitatur negotium œconomicum omne penes vulgus; sed quædam scientiæ lux ad illud etiam propageretur. Solet verum sacrarum cognitio ad omnes in civitate diffundi. Sed vi juris naturæ tenentur omnes ad promovendam felicitatem suam & aliorum non internam modo, verum etiam externam. Neque sufficit, quod scientiæ & artes bonæ tractentur & floreat intra parietes & terminos eruditorum, quod parum felicitati communi confert: sed quantum apte fieri potest, intellectus omnium perficiendus est, ut hæc lux voluntatis emendationi præluceat possit. Ubi vero maxima eorum pars, quibus œconomica negotia commissa sunt, est plane rudis, inculta gaudens ratione, nullisque scientiarum præsiidiis munita, ad illa, quæ considerationis & prudentiæ sunt, peragenda, & ignorans adminiculorum, quæ ad felicitatem & flo-
rem

rēm patriæ conducunt, finis obtineri nequit. Requiritur itaque scientiarum solida tractatio, & applicatio modo facillimo & convenientissimo in usum hominum etiam infimorum. jactura enim nostra felicitatis tanta est, quantam ignorantiam sentimus esse. Modus vero, quo optime per civitatem diffunduntur œconomix inservientes disciplinae, & plurima alia præsens negotium illustrantia, legi possunt in Reverendissimi Pro Episcopi & Procancellarii Doct. *Johannis Browallii* profundæ eruditionis tractatu: *de introducenda in scholas & gymnasia patriæ historiæ naturalis lectione.*

§. VIII.

NON ignoramus, plurima alia vitia œconomix commotis officere atque obstare, ut ignaviam, luxum, superbiam & cetera ejusdem farinae, quibus ob temporis angustiam qua premimur, & rationes §. II. prolatas, exponendis supersedemus. Gratulamur vero patriæ nostræ carissimæ, quod has causas impeditæ œconomix palmarias, quas leviter tetigimus, indies profligari & superari jam sentiat. Erat enim inter alia saluberrima instituta id reservatum immortalis gloriæ REGIS nostri *Augustissimi*, ut Professores in Academiis Regni constituerentur, qui studiosam juventutem œconomix privatæ & publicæ notitia inbuerent. Cives vero ipsi prompto studio & alacri cupiditate de promovenda & propaganda in patria œconomia tam per societates, quam pro se quisque hodie laborant. Unde spes est, propediem Magistratum florenti statu, rempublicam bonis & diligentibus civibus, nos omnes re beata & ex voto fluenti gaudere posse.

SOLI DEO GLORIA!

Clarissimo Domino Candidato,
Collegæ superiori Scholæ Trivialis ad S. Michaë-
lem, Amico singulari.

Tot tantaque summus hujus universi Conditor mortalibus lar-
gitus est bona, ut complures absque ulla fere molestia &
modico labore ad vitam sustinendam necessaria consequi possint;
plurimi vero industriae artis atque assidui laboris ope eadem
sibi acquirere queant. Haec quidem a providentia & benedictione
Divina dependere, nemo ignorat: hominum tamen est, iis rite uti
donis, quae Deus pro bonitate sua illis dedit; quaeque tam lar-
giter sunt concessa, ut nihil respectu eorum sit impediendi, quo-
minus genus humanum omnia omnino necessaria sibi abunde com-
parare queat. Si vero usus eorum negligitur, ratio adest, cur
tot hominum totque gentium in paupertate vitam degant. Tu,
Clariss. Dn. Candidate, in hacce Dissertatione Tua, causas im-
peditae Oeconomiae satis superque exposuisti. Si alia non ades-
sent ingenii Tui documenta, certe eruditio Tua, in disciplinis
Philosophicis egregia, ex hoc univo satis luculenter pateret. Hinc
quoque virtutes Tuæ tanto evidentius eminent, quanto magis
apparet, Te hocce opere plus emolumentum reipub. quam lau-
dem Tui ipsius respexisse. Quid igitur opus est, ut Te insigni-
bus prosequar laudibus, praesertim quum singuli laudum Tuor-
um sint praecones? Ideoque gratulor tantum ex animo Tibi
hac omnia. Gratulor lauream Te merito ornantem. Gratulor de-
mum Tibi munus publicum jam administrandum. De cetero o-
pto voveoque, velit supremum Numen conatus Tuos faustos feli-
cesque reddere, ac praemia eruditionis Tuæ uberrima Tibi tri-
buere, ut habeat respublica emolumentum, familia Tua bon-
tissima solatium, atque ipse metam contingas exoptatam!

ex aſſe Tuus

JOACH. CLEVE Fl.
Savolaxia-Finlandus.